

† R. P. Arthurus Payen.

(Prov. Paris.).

Die Praesentationis B. M. V. sacro, 21 novembris a. 1843 natus est in oppido Cousolre ad Galliae septentrionem sito, domo piissima, inter duodecim liberos natu maximus. Quo pietatis spiritu imbuta fuerit familia haec, iam inde videre licet, quod quatuor fratres statum religiosum et sacerdotalem amplexi sunt, tres Congregationi nostrae, unus Societati Iesu nomine dato, duae sorores Congregationem S. Familiae de Nazareth elegerunt, in qua vitam Deo sacrificarent.



Senex P. Payen invidia quadam sancta motum se sensit, cum Pius PP. X decreto suo s. communionem parvulorum maturari facilioremque reddi iussisset. Ipse enim plus undecim annos natus primum ad s. mensam accedere potuit. At tum iam tanta in eo animi gravitas fuit, ut eodem tempore de vitae suae Deo in sacerdotio dicandae tenore decerneret. Mater de eius consilio prius edocta gavisa est, pater acquiescere non dubitavit. Itaque die 26 septembries a. 1855 confirmationis sacramento munitus initio octobris seminarium minus Cameracense ingressus est. Ibi et in seminario maiore cum in scientia virtutibusque progressus felicissimos fecisset et per duos deinde annos in collegio ecclesiastico in Baileul magistri munere functus esset, die tandem 29 iunii a. 1868 sacerdos ordinatus est, quo facto statim Episcopi iussu in Arleux parochi vicarium agere coepit.

Sed quamquam labores eius Domini benedictio prosequebatur, quamquam cor vere sacerdotale laetitia spirituali non carebat, praesertim cum parvulorum animos ad Deum adduceret, ita ut ipsi quoque iuvenili ar-

dore ei adhaererent, Arthurus tamen animi quietem non invenit, sed semper ad maiora se trahi sensit. Tandem, cum frater natu minor novitiatum Societatis Iesu ingressus esset, etiam Arthuri vocatio decisa est. Die 10 februarii a. 1873 a P. Desurmont admissionem in Congregationem nostram petivit, quam die 17 eiusdem mensis accepit.

Quo spiritu ductus admissionem petierit, quidque de vocatione sua senserit, ex epistula cognoscimus, quam de hac re paulo post ad parentes suos scripsit: « Redemptoristae vere apostoli sunt; inde est, quod eis aequalis esse volo. Sed alia quoque ratio est, quod S. Alphonsus, cum viveret, dixit: Mihi persuasum est omnes, qui in Congregatione morituri sunt, animae salutem esse consecuturos. P. Caillot, qui multos Redemptoristas morientes vidit, mihi confirmavit haec verba manifesto vera probari. Nonne haec res gravissima vobis videtur, parentes dilectissimi? En igitur caelum mihi apertum! Ego autem satis dicere non possum, quo gaudio quaque fiducia cor meum repleatur. Omnia dimittere paratus sum, ut caelum lucifaciam ».

Attamen, dum ipse gaudio abundat nihilque aliud exoptat, nisi ut statim Deo se vocanti obsequi possit, res non tam celeriter procedit, ut speraverat futurum. Episcopus enim, quod dioecesis sacerdotum penuriam haberet, dimissionem se dare non posse dixit, nec precibus iteratis atque ab ipsis parentibus oblatis morem gessit, donec die 29 iunii a. 1874 frater Arthuri Henricus sacerdos ordinatus est, quem Episcopus in Arleux misit, ut fratris locum expleret. Quamquam sex annis post etiam Henricus Congregationem ingressus est, cum eum tertius e fratribus Paulus praecessisset, qui die 2 februarii a. 1878 professione facta Dei in Congregatione nostra servitio se devoverat.

Die B. M. V. in caelum assumptae sacro a. 1874 Arthurus veste S. Alphonsi vestitus est. De novitiatu optimum testem habemus magistrum tum eius, qui ita de eo scribit: « Maxime in hoc novitio spiritum fidei admiratus sum, ita ut in memoria mea haereret. Ab ipso in novitiatum ingressu in ære quodam vitae supernaturalis, pietatis, modestiae vivens cernebatur, unde reverentiae sanctique timoris, simul vero pacis gaudiumque plenus erat. Facile in sacello erat animadvertere eum praesentia Iesu Christi esse penetratum. Cultu B. Mariae V. in novitiatu exhibito filiali et quasi infantili fiducia erga Caeli Reginam replebatur. Maxime autem spiritum fidei admirabar, quo P. Arthurus Payen erga superiores ferebatur. Eiusdem fere aetatis erant novitius et magister. Et tamen nemini dubium esse poterat, quin me sibi longe praelatum esse sentiret. In sola fide observantia illa et veneratio cum amore coniuncta fundata esse potuit, quam aequa ac fratres eius Henricus Paulusque semper in animo suo defixam servavit ». Non vero putandum est hanc vocationem sine magnis difficultatibus probationibusque radices suos altos egisse. Tanto enim siccii-

tatis internae sensu in novitiatu obrutus est, ut ipse scriberet se sibi alium quendam hominem factum esse videri, quamquam alii confirmarent nihil in se esse mutatum. At simul protestatur se velle esse Redemptoristam, non sensu quodam laetitiae et gaudii, sed ratione ductum, cum sciret eam esse Dei voluntatem. Ita novitiatu peracto die festo S. Alphonsi, 2 augusti a. 1875 votis emissis Deo se consecravit.

Post professionem factam, cum duos fere annos Valentiae transegisset, altero novitiatu a. 1878 et 1879 in Avon facto in domibus Gannatensi et Parisiensi laborare coepit. Inde in Hispaniam profectus e collegiis Espinensi et Navae Regis lingua hispanica in missionibus usus est, sed mox in Galliam redux Pali (Pau) ac tandem Argentomi per annos quattuordecim condidit. Argentomi trium sacerdotum novitiatum magister moderatus est. Tandem die 13 iunii a. 1894 in domum Insulensem (Lille) venit, ubi triginta annis post die 10 ianuarii a. 1924 spiritum meritis onustum Deo reddidit.

Inter labores suos apostolicos P. Payen ipse missiones 97, renovations 21, exercitia spiritualia 119 ac multa praeterea alia exercitia se suscepisse adnotavit. Suum vero laborum campum proprium in confessionali habuit. Cumque legibus Combesianis coacti nostri ecclesiam S. Ioseph Insulis amisissent, P. Payen, qui in urbe illa remansit et in domo quadam privata cum paucis confratribus habitare perrexit, a decano ecclesiae S. Stephani libentissime exceptus laborem suum in illa ecclesia continuavit. Ad eius confessionale homines cuiuscumque ordinis accurrebant, patres matresque familias, adulescentes et virgines, peccatores magni et animae piae, laici sacerdotesque. Quotidie horas fere octo novemve in confessionali agere solitus est, et cum aliquando confessiones exceptas numerare coepisset, intra mensem unum numeravit 1524.

Postquam senuit, laborem suum in confessionali etiam in sacello sororum Adorationis Reparaticis prosecutus est, quod maximo ei gaudio fuit, donec senex fere octoginta annorum ab opere desistere coactus est. Aegre quidem, sed fortiter et libenter tum rei necessitati se subiecit.

In moribus P. Payen duo praecipue eminebant, officii servandi religiosum studium et caritas cum pietate coniuncta. Verum est, quod frater eius testatus est, Arthurum numquam intellegere potuisse, quomodo quis facere posset, quod vetitum esse sciret. Inde eius non solum in praceptoribus Dei et ecclesiae, sed etiam in constitutionibus servandis fidelissimum studium. Qui animus religiosissimus e parentum totiusque familiae usu et aedificatione iuvante Dei gratia ei obvenerat, quem Arthurus avidissime inde hauserat puer et ad summam usque senectutem servavit. Hoc religionis spiritu tamquam vinculo firmissimo cum parentibus, fratribus sororibusque coniunctus erat. In litterarum cum eis commercio amor filialis fraternalisque semper colligatus conspicitur cum pietatis sensu, quo e corde

amanti et sacerdotali suos semper consiliis et sententiis spiritualibus iuvare conatur. Et si quis de itinere legit, quo senex paucis ante mortem annis unam e sororibus suis religiosis invisere potuit, litterasque perlustrat, quas deinde ad eam dedit, sponte S. Benedicti cum S. Scholastica commercii recordatur.

In confratres in religione P. Payen caritatis exemplar erat, neque quisquam recordatur verbi mordacis ex ore eius percepti, quamquam, qui cum eo vivebant, haud raro videre potuerunt, quam strenua virtutis ope usus est, ut tranquillitatem serenitatemque vultus servaret. Tantummodo gloriae Dei offensa animisque immortalibus illato damno ad sacram iram quandoque excitari visus est, qua deinde oculi ardere coeperunt osque erectum conquerebatur: «Eheu miseros!» Ipse vero id semper agere visus est, ne quidquam molestiae aliis inferret, ita ut etiam in ultimo morbo mortem exoptaret, ne fratribus sibi servientibus oneri esset.

Pietas ei cum lacte materna quasi instillata in vita religiosa ad apicem perducta est. Erga B. V. Mariam amore vere filiali ferebatur. Pulcherrime in commentario quodam, cui inscripsit «Ipsa mater mea est», omnia contulit, quae in vita sua ab ea se recepisse testatur: «Natus sum die 21 novembris, festo Praesentationis eius; scholam ingressus sum die 1 maii; ad s. mensam die festo Dominae nostrae a SS. Corde primum accessi; primam meam missam in sacello et ad altare B. Virginis in aedibus seminarii minoris dixi; primam missam sollemnem die 2 iulii, festo Visitationis eius cantavi; die 10 februarii, qui sabbatum erat, ad P. Provincialem scripsi rogans, ut me in Congregationem SS. Redemptoris reciperet, et sequenti sabbato responsum favens accepi; sabbato iterum die 11 iulii, in novitiatum veni». Et ita hac enumeratione sex commentarioli paginas complet.

Maximus vero inde a domo paterna amor eius, auctus etiam deinde in Congregatione, erga SS. Eucharistiam ferebatur. Anno 1874 ad carissimos suos scribit: «Constitutum est, ut quotidie inter horam 2 et 3 spiritu coram tabernaculo ecclesiae in Cousolre congregemur». Quinquaginta autem annis post, sub finem a. 1923, cum die quodam quaevisisset, quaenam hora esset, responso accepto submissa voce mussitans auditus est: «En hora adorationis mihi proposita». Quantum vero temporis coram SS. Sacramento insumpserit, praesertim cum ultimis vitae annis in sacello sororum Adorationis Reparaticis versari solitus est, quis dicere poterit? Ideo maximo gudio affectus erat, cum una cum sorore sua Maria primae suae sacrae communionis commemorationem semisaecularem agere posset, et imprimis, cum festa quinquagenaria sacerdotii eius appropinquavissent. Omnibus epistulis, carminibus verbisque, quae hac occasione ad eum delata sunt, collatis animo iuvenili delectabatur.

Animum sane hunc iuvenilem etiam senex servavit. Huius rei testes carmina sunt tenerrima, quae in summa quoque senectute composuit. P. Payen

enim, quamquam nihil typis edidit, poetico spiritu actus paucā versibus pulcherrimis conscripsit. Praeter poesim etiam cantandi artem musicamque amavit. Saepe in conventibus domesticis inter confratres festivis versus eius hilares amoenique etiamnum decantantur. Et cum iam senex cantare non posset, citharae a superioribus sibi oblatae fidibus cantus confratrum mira adhuc dexteritate comitari delectabatur.

Sed vitae finis appropinquabat. Mense quidem augusto, cum mors primum ad portam pulsare videretur et P. Payen s. extrema unctione munitus esset, altero manū iterum in oratorio comparuit, ut s. missae sacrificio assisteret sacramque communionem reciperet. At in uno ex ultimis recessibus annuis inter proposita sua adnotaverat: « In dies magis mundo mori volo ». Et mundi ultimus amor eum re vera paulatim deserere visus est. Cum ad novi anni initium multa obsequii signa recepisset, nihil iam consueti gaudii ostendit. Tantummodo Episcopi Insulensis comiter oblatis gratulationibus valde laetatus est.

Sed cum viribus celeriter destitui videretur, s. morientium sacramentis iterum munitus est, et die 10 ianuarii a. 1924 mox post medium noctem animam candidam Deo reddidit.

Corpus ad latus Patris Desurmont, qui, cum Provincialis esset, in Congregationem eum receperat, in coemeterio Insulensi requiescit, animam relictis nobis virtutum exemplis cum S. Alphonso caeli beatitudine frui confidimus. R. i. p.!